



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Lingva Avrea Christianorvm

Ruben, Leonhard

Padibornae, 1606

De Recto Vsv Lingvæ.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56433)

facris scripturis dicitur, Psalm. 117.
 22. Isai. 8. 14. Daniel. 2. 34. 35. 45.
 Matth. 21. 42. Marc. 12. 10. Luc.
 20. 17. Actor. 4. 11. Rom. 9. 32. 33.
 Eph. 2. 20. Hic est lapis de quo di-
 ctum Isa. 28. 16. *Ecce ego mittam in
 fundamentis Sion lapidem probatum,
 angularem, pretiosum, in fundamen-
 to fundatum: qui crediderit, non fe-
 stinet, etiam in loquendo. Quæ
 verba quoq; citat D. Petrus, 1. Pe-
 tri. 2. 6. Qui ibidem ver. 4. & 5. vo-
 cat Christum. Lapidem vivum ab
 hominibus quidem reprobatum, à Deo
 autem electum, & honorificatum.*
 Hunc lapidem in os iunimus cum
 taciturnitatis eius exemplo, de quo
 egimus cap. 52. insistimus.

DE RECTO VSV
 LINGVAE.

CAPVT LV.

*Ostendit non omnibus semper tacendum esse,
 idq; docetur exemplo cuiusdam in
 discreti religiosi.*

Sicut

Sicut libro primo capite 41. docuimus non omni tempore loquendum esse, nunc aliquibus loquendum esse ostendemus. Nam ut tum dictum ex Ecclesiasticis cap. 3. vers. 7. *Est tempus tacendi, & tempus loquendi.* Et Ecclesiasticus cap. 20. vers. 6. *Est tacens non habens sensum loquela, & est tacens sciens tempus apti temporis.* Et vers. 7. *Homo sapiens tacebit usque ad tempus: lasciuus autem, & imprudens non seruabit tempus.* Quod & ex eo habemus, quod quæ Deus creauit bona sunt. Vnde Gen. 1. 31. *Viditque Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* De ore ergo ipse Dominus ad Moysen, mittendum in Aegyptum ad redimendos filios Israël, & prætedentem quod impeditioris & tardioris esset linguæ, inquit. Exod. 4. 11. 12. *Quis fecit os hominis? aut quis fabricatus est mutum & surdum, videntem & cæcum? nonne ego? perge*

Non
omni
tempore
tacens
dum.

os &
linguam
creauit
Dominus.

igitur

Contra
scios

igitur, & ego ero in ore tuo: doceboq;
te quid loquaris. Arguuntur hoc
loco scioli, & loquaculi, qui ubi
vix dum sacras literas à limine sa-
lutarunt statim sese proteruè non
tatum offerunt; sed ad concionan-
dum, sine vlllo diuino præsidio in-
gerunt. Non talis Moyfes qui di-
ligenter secum dispiciebat quanti
muneris esset diuina pro Deo lega-
tione ad filios Israèl fungi, & quòd
Psalm. 40. 16. Peccatori dixit Deus:
*Quare tu enarras iustitias meas, &
assumis testamentum meum per os
tuum? Tu verò odisti disciplinam, &
proiecisti sermones meos retrorsum,
&c.* Adhæc cogitandū quòd in o-
ris medio Deus creauerit linguam.
Eccli. cap. 17. ver. 5. de Adamo lo-
quens, inquit. *Creauit ex ipso adi-
torium simile sibi consilium, & lin-
guam, & oculos, & aures, & cor de-
dit illis excogitandi, & disciplina in-
tellectus repleuit illos.* Hoc itaque o-

re & lingua scilicet rectè vti, maximæ profectò artis fuerit. Nam vt est Prouerbior. 15. 11. *Mala aurea in lectis argenteis qui loquitur verbum in tempore suo.* Prouerbior. 17. 27. *Qui moderatur sermones suos, doctus & prudens est.* Mutorum quoq; erit aperta lingua, tempore Christi. vt docet Isaias Propheta 35. 6. Et licet hoc prò dolor seculo potiùs egeamus fræno quàm linguæ licentia, quia tamen nulla res est adeò sacra cui fraus Cacodemonis sese non insinuet, dicam quàm magno periculo, quidam fratrum minorũ insidijs diaboli in pertinaci silètio illusus sit, de quo sic scribitur in speculo S. Francisci. Cuidam ex fratribus perpetuum silentiũ seruanti, Pater Franciscus vt semel tantùm in hebdomada cõfessionẽ faceret, persuadere nõ potuit, & ille sibi de se magis quàm præposito suo credens, excidit à Sanctorũ

Pertinax silentiũ cuiusdam religiosi.

collegio & ad vomitum est versus. Primùm irrationabile erat, tam obnixo obstinatoq; animo tacere, vt confiteri nollet, quasi qui nihil vnquam deliquisset; deinde arrogans ac superbus maiorum voluntati suam præponere, cùm Dominus, 1. Reg. 15. 22. obedientiam velit, & non sacrificium aut victimas. Et Luc. 9. 23. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum.* Profectò qui obedire negligit, subijci dedignatur, & qui subijci dedignatur, superbit; & qui superbit, nunquam proficiet. Igitur ipsum quoque oris silentium semper mentis humilitate niti debet vt obseruatori suo prodesse possit. Hæc ibi. Quæ conueniunt cum eo, quòd obedientia sacrificijs & victimis præfertur, vnde Samuel, 1. Reg. 15. 22. ad Saul regem inquit. *Nunquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potius vt obediatur voci Domi-*

ni? *Melior est enim obedientia, quam victima, & auscultare magis quam offerre adipem arietum; quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare: & quasi scelus idololatria, nolle acquiescere.*

QVI LOQVI DEBEANT.
CAPVT LVI.

*Loqui debet Deus, Sancti, maiores natu,
Episcopi Ecclesie.*

PRimò Deus loqui debet. Hinc *Isa. 42. 14. dicit Dominus. Taciui semper, silui, patiens fui, ut parturiens loquar: dissipabo, & absorbebo simul. Et David, Psal. 2. 5. Tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo turbabit eos. Quo spectat & id Isa. 62. 1. Propter Sion non tacebo. Et propter Ierusalem non quiescans, donec egrediatur ut splendor iustus eius, & saluator eius ut lampas accendatur. Psalm. 82. 2. Ne taceas neq; compe scaris Deus. Quoniam inimici tui sonuerunt, & qui oderunt te ex-*

Deo conuenit loqui.

tulerunt